...sim. Flor.

...an.

Acad. Lubranse Poem Applausus Mercurii

et Apollinis.

An brak 1. arkusze

APPLAVSVS
MERCVRII & APOLLINIS
In Auspicatum
JLLVSTRISSIMI PRINCIPIS
ET REVERENDISSIMI DOMINI
D. CASIMIRI FLORIANI CZARTORYSKI
DVCIS IN KLEVAN
Dei, & Sacræ Apostolicæ Sedis Gratiâ
EPISCOPI POSNANIENSIS,
Ad Ecclesiam Cathedralem Ingressum,
Concinnati.
Vnà
In Communem Lætitiam
PRINCIPVM LIT. CZARTORYÆQ; DVCVM
Magnorum, Magni Præsulis, Atauorum
Faustis Ominibus Accedentibus.
ET
A Lyceo Poëtico
Lubransciani Collegij Academicj Posnan.
Rozdrazewianâ Liberalitate Restauratj.
Szołdrscianâ Munificentiâ auctj.
In debitæ obseruantiæ cultum
exhibiti.

Anno à Partu Virginis 1651.
POSNANIÆ
In Officina Typographica ALBERTI REGVLI.

Gallus Przedoszowic. Artiu et Phiæ Doctor in Collegio Lubransciano Scholæ Poeseos Professor.

IN STEMMA DVCALIS PROSAPIÆ ILLVSTRISSIMI & REVERENDISSIMI PRÆSVLIS.



Poſnea, ne metuas hoſtes, non hoſtica tela;
PRÆSVLIS *auxilium,* STEMMATA *celſa dabunt.*
En bellator EQVES, *gladium ſtringendo minacem*
Infenſas potis eſt, ritè ferire manus.
Eſt tibi DVX, PASTOR, *geminato* NOMINE, *pellet*
Ex Acie turmas, perfida monſtra ſtriges.

ILLVSTRISSIMO PRINCIPI
AC REVERENDISSIMO DOMINO
D. CASIMIRO FLORIANO
DVCI IN KLEVAN
CZARTORYSKI,
EPISCOPO POSNANIENSI,
Perpetuam Felicitatem.

NON conuenit, in communi plausu, tacere vnum; etsi difficilè, inter omnium voces, audiatur vnus. Accusat non excusat silentium, vbi taciturnitas delictum est. Temerè Harpocrates fingitur, quando necesse loqui, ILLVSTRISSIME & REVERENDISSIME PRINCEPS. *Literæ etiam nostræ, quæ, à diuinis Tuis factis, vberrimam capiunt materiem; non poterant segnes esse; quoniam nec decuit: quando tota Metropolis, immò maior vniuersa Polonia, Illustrissimum perantiquæ, prosapiæ Principem, suum pridem expectatum Te Præsulem, velut lucidissimum cælitùs datum Sidus, salutando: in omnem effunditur lætitiam. Iam Senatores grauissimi, Senatori Illustrissime, DEO sacer mancipatus Ordo, piissimo Pontifici, concordes ciues vigilãtissimo Pastori. Vniuersi, Virtuti aduentanti obuiando, conscìam voluptatem contestantur. Inter hæc festiua tripudia, festinant studia nostra, nec vllo modo, feriari volunt: in demissæ venerationis cultum, exiles ingenij vires impendendo; cum præconcepta hilaritate, libenter eunt in Applausum. Incomptus ille est, quoniam sincerus. Minùs canorus, fecit maiestas obtusum. Si par adhibendus, omnibus imponetur silendi necessitas. Nullus in condignam assurgit prædicationem, quando gloria, extra communem est. Dabit veniam nihilominùs innata clementia; dum velle non posse pensitabit, in exiguo effectu, maiorem affectum contemplando. Est etiam præcipuum Principum opus, ex minimis facere magna. Maiestatem, & dignitatem hanc, quis dignè efferat? Parabilis non exquisita laudatio, Tuam arguit gloriam: cum celebrentur acta non agenda. Sanè Tua laus, supra nostram orationem est, quia in Te omnia summa. Principes eloquentiæ conuocandi: nam Principum, Ducum, Regum propago es. Magnanimorum Sarmatiæ Herouum Ordo nemo, sine Te. Lechiæ, Russiæ, Lit. si quis trophæa numerat, adscribat necesse CZARTORYO. SERENISSIMIS REGIBVS, quæcunq; cum IAGELLONIBVS necessitudo est, à Te non possunt esse alieni, idem sanguis est. Nec tam his finibus continetur, in alias Europæ partes latè diffusus, & in splendore Palatinorum Rheni, Bauariæ, Neoburgi Principum maiestate: nec non in solio Imperatorum Austriæ, à Diuis* SIGISSMVNDIS VLADISLAIS *consedit deriuatus. Magna hæc sunt, cum maiora esse non possint. At Tu, in summa gloriæ maiestate, cùm summus sis, vis minimis facilis, omnibus vtilis esse. Nempe, nullus vani honoris curam habet, cuius vita in altissimas rationes deriuatur. Opus Tuum est, amplissimum Ducalis prosapiæ genus, maximis decorare virtutum ornamentis. Talem Te Natura, Astræa, Minerua fecit; qualem publica vtilitas*

exoptare possit. Natura *Tua nota bonis, Astræa prudentibus, Minerua doctis. Iam, supra inuidiam sit (Fama Tua iuxta vitam, oratio nostra iuxta fidem) magnos quosqué expressisti, dum magnitudine animi, & summâ demissione, virtutem, & gloriam expleuisti. Sed non pando dictionis vela, ne patiar naufragium Tuæ gloriæ in oceano. Necessitatis non virium est,* Magna modis tenuare paruis. *In faustos applausus, & gratulaones hic Apollo effusus est, non encomia. Quanquam veretur, & meritò, ne iniurius, vel imprudens magìs, quàm officiosus sit.* ILLVSTRISSIMÆ CZARTORYORVM *Domûs Honor, non hospes, hæreditarius hæres est, & hærens. Tecum natus est. Fueras Præsul, dum non esses, quoniam dignus, & meruisti. Ipse suâ sponte fatetur, non magìs se contulisse, vt recepit. Dedit munus, vnà imposuit onus. Tu sine grauamine illi, illustre Principis decus contulisti. Sic ceteri quod acquirunt, Tu dedisti ornamentum. Antè Pontificali mitrâ; nunc sublimis,* Ducali *etiam* Diademate, *incedit redimitus; gloriæ, trophæorum, & pulcherrimis virtutum, vnionibus, immò ipsâ virtute, cuius, pectus & venerabilis Tuus vertex sedes est, gemmatus pretiosè. Non possumus tamen non gratulari, etiam hanc, noui honoris accessionem: quia optauimus. Nec* Celsitudo *affectum reijciet in effectu, cum nullus sit, qui non vicissim gratuletur, Seculi, Ecclesiæ, nostri causâ. Seculi, cui tale exemplum: Ecclesiæ, cui talis Præsul: Nostri, cùm talis nobis contigit Patronus. Literæ hæ Lubransciana, vt antè* CZARTORYORVM, *& nunc eorumdem sunt. Quippe; idem Diui* IAGIELLONIS, *&* CZARTORYORVM *Eques est: cuius Bellerophonteo veriùs Pegaso, Sonipes armatus, Craciadum excussit Musarum Fontem, vnde riuus hic Lubranscianarum deriuatur. Qui iam tandem Equite Tuo, suo velut productore recreatus; vt præsidium, sic beneficium pollicetur. Delectabitur Bellator hic fonte, Cuius auctor est. Non aspernabitur riuum, pars fontis eiusdem est. Annue: viue, perennato magne Princeps, & Præsul; peculiariter felicitatem nostram amplitudini ad-scribemus, cui vitam, & sanguinem debemus, Maiorum beneficentiæ, & Tuo Honori æternùm dedicati.*

Tuæ Illustrissimæ & Reuerendissimæ
Celsitudini

Lubransciani Collegij
Academ: Posnan:
Deuotissimum Lyceum Poet:

Illu-

Illuſtriſsimo
PRINCIPI, ac PRÆSVLI
APPLAVSVS
MERCVRII.

RECEDAT HINC AGATHYRSVS, ASPERQ; GELONVS,
Et quiſquis
CVI MOS, PRINCIPES SVOS, MVTO VENERARI SILENTIO.
Barbarum humanitatis indicium, taciturnitas eſt.
Petat, repetat, gelidi Caucaſi iuga, inhoſpitalis accola,
Merum Tyrannorum mancipium.
Ora liberis, voces, linguasq; cur compeſcat?
Ne ad officioſum cultum, & ſubmiſſam venerationem reſoluantur?
Et hoc nouum piaculum eſt.
Tametſi
Quod nobis commercium, cum elingui illo?
Non Thracicam, Lechicam conſuetudinē laudabilius hîc fouemus:
Qui cum omnibus
Candidis votis, & ominibus,
DVCI, PRINCIPI, PRÆSVLI,
Virtuti aduentanti,
Fauſtis cum tripudiis obuiamus
Libenter, ac meritò.
AGESIS ERGO.
Indue nouam feſtiuitatis, & lætitiæ diem,
Pari cultu, haud multùm diſtantibus verbis.
Vel exulta, & triumpha; orbitate tandem exuta
POSNANIA.
Præſens Sors Tua, vt felix, ſic magnifica eſt,

Splẽdor hoſpitis lucem facit, etſi impediaris nube,
Ne vereare eclipſim.

Iam Soles,

Ver nouum, nouosq; Flores, quin! perennes,
felicitatis producit aceruos.

Et hunc

Dulcem, libens admitte errorem,
Si maturos, cataſtrophe gratâ, cum calathis, legis racemos.

QVANDO INCLYTA STIRPS

MAGNORVM DVCVM, PRINCIPVM, REGVM

ILLVSTRISSIMVS & REVERENDISSIMVS

CASIMIRVS FLORIANVS
CZARTORYSKI,

DVX IN KLEVAN

Cidari, Tiarâq; floridus
Bono omine, melioribus auſpicijs
Sacrum, Antiſtitum Solij, Viretum

INGREDITVR

Verè ad Eccleſiæ Faſces, & gloriam natus,
Præſtantiſsimus FLAMEN, laudabilis per omnia.

In quo

Sanguinis Claritas, Splendor Principum,
Dignitas Senatorum, Prærogatiua Præſulum:
Vbiq; & in omnibus Honeſtum, Maieſtas, Prudentia, Grauitas,
Encyclopediam fecit.

Et cum

Multorum ſeculorum ſerie multâ,
Computet

Magno-

Magnorum trophæa DVCVM, à GEDIMINO DVCE Lit. procreatorum,
Splendorem Principum, qui à CONSTANTINO
DVCE CZARTORYÆ Tribus processêre seculis:
Et tot, adoratam Maiestatem Regum, quot à
D. IAGELLONE CONSTANTINI Fratre regnauêre,
Suarumq; magnarum virtutum, immensum theatrum repræsentet:
Dubium, Dignitate maior, an probitate melior,
Non Genus magis quàm virtutem summorum adæquauit,
Et summæ Nobilitati, paria addidit decora.
HVNC, & EIVS
Gloriam, Pietatem, Prudentiam, si spectes
In ornamentum, seculi, Regni, Ecclesiæ natus,
Hic magnus Honesti Patronus:
Inter celsos & optimos: celsus & optimus.
Gente PRINCEPS, pietate Mystes
Complexus animo: quidquid PRINCEPS & Mystes habent.
Vitæ modum si consideras, vera virtus est,
Si imitaris, vel potiùs miraris, prototypon pristinæ,
Nouæ, Forma probitatis est.
Nimirum
Ea vita, in qua nihil accusandum: ea ætas, in qua nihil excusandum inuenies.
Facta eius, leges sunt:
Virtutum munia, miracula
Occupatio, omnibus prodesse, velle, nemini nocere,
Ita est
A vitijs eum natura seiunxit; & Inclytæ Stirpis honos,
Tum; virtutibus doctrina elegantior sociauit.
Vt pote Virtuti
Camœnæ, magis quàm Fortunæ Fascibus, maluit insigniri!
Virtutem, testatur integritas indefessa,
Quæ crescere cupit cum iam grandæua sit,
Fructum literarum, Heroica monstrauit suada

Cui, necessariam iunxit Astræam comitem.
Sic, sublimi ingenio, omne superans imperium,
Animo complexus, quidquid in vnum cadere neges,
Hic pretiosus Hexeconthalithos.
Verbo complectar,
Si rectè calculum ponis, plùs diuini, quàm humani possidet.
(Absit assentatio)
Vanescit honor, si promiscuis adulationibus vulgatur.
Ceterùm, nonne ipsa
Germania, Italia, & cõpendiũ Orbis Roma, vidit hæc & mirata est?
Ac simul pro laudibus, admirationem virtutum substituens,
Libens, Sacrâ Doct: Lauru insigniuit.
Et rectè, quoniam
Virtus encomium superans, faciliùs colitur, quàm extollitur.
At verò
Ibit in veræ vitæ exemplum, hoc Virtutum Delicium,
PRÆSTANTISSIMVS DYNASTES,
Qui, quàm Dignus, & Doctus, tam profectò arrogantiæ hostis.
Maiestatem, & grauitatem, summæ fortunæ possidens,
Minimis esse demissum, pro magnifico æstimat.
Magnus PRINCEPS, humilitatis ex asse vectigalis.
Modestiæ Religiosæ, vmbram fecit.
Omnes illustrans, Ipse inclarescere noluit.
Fastum omnem, procul proscripsit,
Quem, nouit obstaculum esse, & venenũ probitatis.
Durum imposuit, amplitudini iugum,
Quam, docuit à se ipso, posse humilem esse.
Famam ipsâ detestatione, in suas flexit panegyres,
Honores, contemptu:
Quos cum meruit, non ambiuit.
Ratus optimè
Mereri, quàm accipere, melius esse,
Nec virtutis præstantius donum, seipsâ.
His artibus ille

Me-

Meruit quæri, licet non quæreret.
BONVM FACTVM
Erubuit *Fortuna*, quod primus nondum omnes antecellat,
Qui prima eius ſpatia ingreditur:
Hactenus deliberabat, quoniam cæca fuit,
Lucem recepit, ſuā ipſamet pigritiam accuſatura,
Aliquātulùm deliberabat, vt laudabiliùs eueheret;
Peccauit, errorem magnificentiùs correctura.
Ac iam veretur
Quin amplitudinē tātam, ſuâ liberalitate expleat.
Maiora parat (Felix augurium) Celſitudini faſtigia rerum,
Vt pote
Creſcens virtutum gloria, non poteſt, niſi in ſublimi quieſcere.
Suadet, imperat,
Præſulis tanti, virtus, Dignitas,
Sanguis clarus, qui totus claritati debetur:
In quo refulget cum Regali etiā throno, magna neceſſitudinis gloria
Regibus, & Reipublicæ neceſsaria.
Non viritim ſingulos, ſed DVCES, gentes
In NOMEN tantum coaluiſſe crede:
In luce clara, fidem publicam teſtor,
Videt, ſentit, palpat, latè patens orbis,
Magnos Sago, Togâq; tanti luminis Heroes,
Faciliùs mortuos, quàm non viuos:
Quorum ſi facta promam, opprimet gloria,
Tantarum laudū ſub onere, quæuis labat induſtria,
Serpet, immò hercle repet humilitas.
Siſyphium conatum, æmulatus labor, in humilia deuoluetur,
Harpocratico tutiùs eos ſilentio, quàm exili adorare penicillo,
Quandoq; ſignum venerationis, ſilentium eſt,
Teſtis es Gelone,

Nihilo seciùs
Cum æternitatē eorum, viri magni erudito stylo celebrēt continuò
Pietate non Viribus fretus, adiungā aliquē conatū
Eos, tradere mortalibus, qui toti immortalitati debentur:
Officio leuiùs, quàm silentio peccaturus.
Iam ea fronte
Quâ gentes, tenuêre, mouêre, composuêre,
Annuentibus benignè,
Faustum omen
Accedunt, in tantum cumulum laudis,
MAGNI, MAGNÆ LITVANIÆ, PRINCIPES, DVCESQ; MAGNANIMI.
O seculis!
Quanta Nomina, Numina, Luminaq; !
Quanta, Genti, Solo, Poloq; !
Istane charta comprehendet, quorum famam orbis non capit?
Exuberans est hìc, magni splendoris, pelagus.
En Primus Atlas
Cum magnis quibusq; fatis æquandus,
Qui basim, tantæ moli iecit.
MAGNVS DVX LIT.
GEDIMINVS COLVMNA
Plusquam Herculea,
Olim Ausoniæ, pòst Sarmatiæ:
Litauiam, Italiæ præferens, vtriq; clarum sparsit iubar.
Virtutis, & fortunæ, à seipso ornamenta habens.
Gloriæ, ac libertatis DVX extitit.
Heroicis Factis
Patriæ amor, æui delicium, Hostium terror
Promeruit appellari.
Borussus, Moschus, & quisquis Balticum, & Borysthenem bibit'
Ei demum stipendium tulit.
Victrix gentium Roxolania,
Quon-

Quondam florens, tot bellorum superstes, ferro fracta, abolita igni:
Reluctantes,
Wlodimirus, Olcha, Leo, Duces
Vltimo perditi fato.
Terrores orbis terrere sueti, didicerunt, docueruntque,
Diuersam fuisse, cum GEDIMINO vincendi sortem:
Serto plantas eius præcinxit Mars,
Quo tempora eorum coronauerat.
Per hunc Herculem
Tumidus Teutonum, Borussiæq; Gerjon cicuratus:
Et cum frenum admorderet, toties telluri allisus,
Relictus Nepoti præfocandus demum,
Tibi nimirùm Regni, Orbisq; delicium
Diue VLADISLAE IAGIELLO.
Ita ab eius finibus, hostes metu,
Sed non mutuo, separabantur.
Quippe
Nullus in eum sic insurrexit, nisi corrueret:
Et post ruinam vix stetit vllus.
Ad extremùm
Non priùs timeri barbaris desiit, quàm suis haberi,
Prodigium illud fortitudinis, metuendum
Genti saltim Machometicæ;
Ni Sors auara virtuti inuidisset,
Et ille, suos seruando, seipsum negligere elegisset.
O FAC (vt libet) FATVM
Alij diutiùs imperium tenuêre, nemo tam fortiter reliquit.
At verò
MAGNE TV PATROCLES,
Non tibi deerit, Nemesim qui ferat, Pelides,
Quamdiu tuus reliquus est sanguis, & Litauis Achaia;
Premere qui cœpit, perimet idem ensis.
 En

En Tuus Natus, tua ſata, & facta ſequitur,
MAGNORUM PRINCEPS LITAVORUM
OLGERDUS
Prudentiâ DUX, Miles robore, Bello Victor.
Victorias, qui eius numeret, erret: cenſum ingredi nequeunt.
E SCYTHICIS, PRUSSICIS, MOSCHOVITICIS campis,
Triumphi gloriam enſe legit,
Immanium Centaurorum cruore fœcundatis.
Trium Tauricæ, tot Boruſſiæ DUCUM, impreſſo gladio
Iugulis hauſtis, ceteris terrori fuit.
Moſchouiæ Tyrannus, in ludibrium orbi abijt.
Dum intra menſtruum curſum,
Vilnæ triſtes ruinas, funus Olgierdo pararet,
Ab eodem
Antequam fax deficeret accenſa,
(Quam ſui prodromum præmiſerat)
Regno mulctatus.
Priùs obſeſſus, quàm obſideret, victus primò
Quàm victorem venturum ſperare poterat.
Vitam MOSCHIS, ſibi
Vincula, compedes, manicasq; precibus à Victore redemit
Glorioſo.
Sed ambiguum hîc ingens,
Bellane magis tanti Triumphatoris, an pietatem miret.
Fœderis, cum fratre initi conſeruator,
Et indiuiduus fidei comes potiùs
Quàm Imperii oblati, Princeps eſſe maluit:
Ni par alterius peruiciſſet pietas.
Hem! venuſtum certamen, vbi victoria ſine victo.
O *Fortunati ambo* (vt ille ait)
Nulla dies vnquam memori vos eximet æuo.
Non hic ſeſe Pylades ſolus, non Oreſtes iactet,
Vi-

Viuet extento OLGERDVS æuo, & KIEYSTVTVS animi fraterni.
Primi, ex profligata auiditate duxêre triumphum,
Et suo, orbem pulcherrimo docuêre exemplo,
Potentiã & concordiam, posse in vna sede morari.
Iam nunc heus!
Romule, Auguste, angustus cui orbis, expauesce, expallesce,
Nec in Orbe, nec in Vrbe, tulistis pares;
Esse iam sine rubore non potestis:
Vel instante Principe nostro.
At ille (ô quæ faustitas)
Pius, meritum dum renuit imperium, reddit fæcundum.
Quot Natis
Tot DVCIBVS, PRINCIPIBVS BEATVS, ac FELIX.
Erro
Proles illa, regnorum solia pressit,
Gentibus, populis iura dedit.
Hinc ortus SOL LVCIDISSIMVS ILLE
D. VLADISLAVS IAGELLO.
Inuictissimus Rex Poloniæ, M. Dvx Lit.
Qui
Gordio fortiùs nodo
Polo simul & Poloniæ Litauos iunxit
Fide, ab altero acceptâ, datâ alteri.
Munificentissimus
Sarmatici Conditor Heliconis, & Literarum introductor;
Feliciter, Posteris suis,
Quanquam inter liberas gentes; tot seculis
Reliquit quandam regnandi necessitatem.
PORRO
Inclyta eiusdem Stirpis gemina Palmes,
Sublime vnius Splendoris Lumen;

CONSTANTINVS PRINCEPS
PRIMVSQ; DVX CZARTORYÆ.
In quo, Constantia nullibi desiderata.
NOMEN HOC NVMEN est
Latè diffunditur, nec angusto clauditur limite.
Vigor animi, ingentibus par negotijs.
Vine fortunæ, an virtute magis excelleret? certamen non leue.
Creator
TOT DVCVM, PRINCIPVM, HEROVM, SENATORVM
Quot tria secula viderunt, & suspiciebant.
Qui
Principum Maiestatem, Ducum Gloriam,
Heroum Fortitudinem, Senatorum prudentiam,
Non adæquarunt modò, sed superarunt gloriosè.
O mihi, quod flumen, quæ Suada mentem affluat?
Eorum laudes in compendium si cogam,
Silebis Facundia,
Si viritim, quantum in Principibus est,
Liberiùs eloquentes enumerare conabuntur, nunquam exsatiabūt,
Verba deficient, languescet industria,
Nullus, Maiestatem, & Dignitatem literarius adæquabit fastus,
Stat minor quævis dictionis celsitudo.
Nempe
Non maiorem hic orationis dignitatem, quàm fidei inuenies.
Omnes, & singuli
Maioribus suis digni, aduersariorum certaminibus inconcussi;
Virtutem; Famam, Decus, extendere factis,
Hæc in animis eorum templa, hæ effigies, & mansuræ.
Non periculum, locus asper, non armatus hostis,
Illis formidolosus vnquam.
Cum elogio fatetur libens
Bellis extraneis intacta, seruilibus infelix, Lechia
Robora tanta magis, quàm Atlantica.

Sub

Sub quibus
Tot Seculis, Moſchus, Geta, Suecus, & quisquis infenſus erat ingemiſcebat
Ipſa OTTHOMANICA LVNA
Imperterriti, CZARTORYORVM DVCVM, EQVITIS
Fulgentem enſem expalluit,
Ac ne vix obſcurata.
Hanc, nonne Heroicus impetus,
THEODORI Gubernatoris Luceoriæ,
ALEXANDRI Palatini Volyniæ, &
HIERONYMI CZARTORYORVM, ſæpius
Cum plenilunium ambiret, mutilatam reddidit;
Dum creſcere; Stans Eorum, reſtitit EQVES.
Videlicet
CZARTORYORVM EQVITIS, nō Paradoxū, Oraculū eſt,
Stando pugnat, currit; & vbiq; eſt, dum currit.
Hinc errem ſanè
Si Eius metiar Curſum, ſine termino eſt,
Non ſtadij, ſed orbis.
Ad Regni, Eccleſiæ tutelam, non ad inanem ludicri gyrum,
Cataphractus.
Fidem facit, Panegyrim adornās; quicūq; meminit,
Jlla fulmina hoſtium
IANVSSIVM, vt armis, ſic conſilio promptum,
ANDREAM, & GEORGIVM CZARTORYOS DVCES;
Virtutum, maiorum ſuorum, hæredes.
Quorum Nomina
Inuicti roboris, fecêre prouerbium,
Fidem Hiſtoricorum teſtor.
Singulos ſummis pares
Hos, prior eſt mirata, ſequens mirabitur ætas
Virtutis notæ, quà patet orbis erunt.
Refert hæc, ac in ſe repræſentat

Plenus annis, ac Heroicis virtutibus;

Qui

Decus seculo, sibi gloriam, & sequentis æui memoriam genuit;

ILLVSTRISSIMVS PRÆSVLIS ILLVSTRISSIMI GENITOR,

DVX CZARTORYVS, Castellanus Volyniæ;

Comparandus paucis, anteponendus omnibus,

Cuius vita

Nonnisi probitas, Sors nonnisi gloria.

Plenam virtutis, ac gloriæ, mensuram adimplens,

Ius omne bonumq; , non legibus magis, quàm naturâ sociauit.

Eius magnitudinem totam

Si hâc breuitate complecti vellem, dispeream!

Supra calamos est Splendor Hic.

Inter optimos, & magnos suspiciendus,

Vtriq; venerandus.

TANTIS NITITVR

DVCIBVS, PRINCIPIBVS DIVIS, HEROIBVSQ;

ANTISTES ILLVSTRISSIMVS

Flos hominum, Corona Principum, Virtutum Norma,

Omnium delicium.

Seculi munus, seris posteris donum.

Et cum

Dignitatem animo, fortunam vincat ingenio,

Quidquid vbiq; magnum, vel magnificum est,

Complectitur.

Quem Rector orbis,

E validis regni Propugnaculis cretum;

Firmum

SANCTVARII, sui opposuit MVRVM.

O VIVAT, PRÆSVLVM HOC

Diuturnum Decus, & æternum.

APPLA-

APPLAVSVS APOLLINIS
In cuius fronte
Ingreditur Diuum Genus,
Tandem venturo lætentur vt omnia ſeclo.

Tranſeat hîc ſine nube dies, ſtent aëre venti,
Aſpiciam nullos hodiernâ luce dolentes,
Propert.

PVRPVREO Titan roſeus, fulgore coruſcans
Irradiet noſtros, rutilo nunc lumine colles.
Lætior annus eat; feſtiuos ſignifer ortus
Producat; certent magni procedere menſes.
Tympana iam buxuſq; ſonent, det buccina cantus.
Et tuba ſollenni ſtrepat alta choreumata plauſu.
Dent tormēta ſonum, nitidis micet ignibus æther.
Lætitiam cieant, exultent compita Poſnæ.
Mœnia lætentur, niueo fulgente colore.
Templa nouum referant vultū; vel lætior omnis
Ordo virûm, cunctâ reſplendens fulgeat vrbe.
Plaudant cum trabeis faſces, cum plebe curules.
Nam ſuperi, magno cumularunt noſtra fauore
Gaudia; ſucceſſus, lætis ſucceſsibus augent.

E cælo, nobis Pietas demittitur alto,
Magnanimus Sanguis Regum, de Stirpe vetuſta
Flos hominū, flos ipſe Ducum, Diuûmq; propago
CZARTORYSCIANO claro de ſanguine Princeps,
Præſul, Sarmatici ſidus memorabile Regni.

Tranſeat hîc ſine nube dies, ſtent aëre venti,
Aſpiciam nullos hodiernâ luce dolentes.

Parnaſi Diuæ, gratiſsima numina Phœbo,
Theſpiades Muſæ, feſtos renouate fauores.
Æmonias ſtringendo lyras, reſonate Camœnæ.

 Sua-

Suauiſonæ citharæ, voces effundite dulces.
Nunc Orphea chelys, reboet modulamine blando
Dulcibus, implendo faciles concentibus auras.
Iam Niobe, lacrymas ſiſtat, triſtesq; dolores.
Progne Ityn amiſſum, querulo ne flectito luctu.
Luctifica Halcyonum, requieſcant pectora plãctu.
Et vos Pegaſides lætæ, gaudete ſorores,
Naiades, obliqui colitis quæ littora Vartæ
Ponite, vel meritos luctus, nigramq; cupreſſum.
Damna RATIS magnæ lugentes, veſtraq; damna.
En generoſus EQVES, rutilans ſupereminet vrbi,
CZARTORYSCIANVM fulgens lux gloria vera,
Lechiadum laus, Litauiæ ſplendorq; Sacratus.
SZOŁDRSCIANO letho Parnaſſus, qui aruit olim,
CZARTORYSCIANO floreſcet Pegaſo amœnus.
Fauſta IAGIELLONIS Diui, Regiſq; potentis
Sarmatici, felix cognoſcet ritè nouata
Secula; Craciadum Muſarum Hyperi, renitentis
Parnaſsi, Auctoris primi, celſiq; PATRONI.

Tranſeat hîc ſine nube dies, ſtent aëre venti,
Aſpiciam nullos, hodiernâ luce dolentes.

Surgat, & inſtauret laudes, pia turba, cohorſq;
Vel Dryadum tenerum, celſi per culmina montis.
Lætitiã hanc iterans, vitreo ſub flumine Nymphæ,
Plaudant, iam magnus ſcandit nã altaria Flamen.
Conſcenditq; thronum Præſul, Celſusq; Dynaſta,
Exoritur clarum Poſnæ iubar, & Patriæ Atlas.
Grande decus, columen regni, Sacræq; Tiaræ.
Præcipuum, eximij decus æternumq; Senatus.
Affulget priſco faſtu laus, gloria, virtus,
Iam renitet pietas, grauitas, moreſq; ſeueri.
Eminet ante oculos rectum, probitaſq; pudorq;
Exurgit ſplendorq; docens, de vertice ſummo,
Vir-

Virtutem patriam, proprijs extendere factis
Stemmata clara, suâ cumulans virtute fideli.
Resplendet sapiens prudentia, iura, sacriq;
Cultus; candoris leges, & Suada diserta.
Heros resplendet clarus, virtutis imago,
Fortia facta Ducum referens, ac inclyta Regum,
CZARTORYSCIANVS CASIMIRVS, gloria Sacris.
Magnanimus Princeps, magnos augetq; triũphos,
Quem numerosa suæ gentis monimenta coronãt,
Tœnia Præsuleæ mitræ nunc tempora cingit.

Transeat hîc sine nube dies, stent aëre venti.
Aspiciam nullos hodiernâ luce dolentes.

Lætitiam spirent flores, & gramina campi.
Cæli, vel totus candens aërq; triumphet.
Iam vigeant ipsi, nudati frondibus orni.
Indignans littus, campis protendat apertis,
Ipse suo tumidus flauo de gurgite Varta,
Varta suæ Posnæ florentis, mœnia lambens,
Nunc etiam, lætos testetur flumine plausus.
Aut placidas diffundat aquas, cum murmure dulci.

Splendida lux, virtus, nostris resplendet in oris,
Gloria virtuti semper contermina fulget,
Et lumen patriæ, columen fideiq; coruscum.;
Quemq; suum, VIRTVS meritis prædixerat amplis,
Iam nunc, diuus HONOS perlustrat lumine templa.
CZARTORYSCIANÆ gentis repleta trophæis
Diuinis; nequit expleri defixus in vno
Vultu, præcipuos illi meditatur honores,
Præstantem titulisq; suis dignum, inuenit vnum,
CZARTORYSCIANVM, cernens vestigia laudis,
Magnanimum Heroem, certi monimẽta decoris,
In quæ nil Boreas habet, aut nimbosus Orion,

Non Aquilo sæuus,potis est mutare per auras.
Copia, non pressæ fraudis, non dira manûs vis.
Ex nunc â cunis, flexit non impiger æuum,
Linguæ thesauros magnos geniiq; parando,
Sic vigilem, doctæ Charites post deinde secutæ,
Musarumq; cohors, rutilo mel contulit ori,
Nectar, & Ambrosiã, linguæ dedit, Attica Suada,
Imbuit eloquio pariter Latiumq; potenti,
Quo posit populi, attonitas inflectere mentes,
Vel doctâ, sanctum suspendere voce Senatum.
Non ille est solitus multo marcescere luxu,
Otia damnabat, mollem fugiendo teporem.
Sed pulchras cumulare artes, formante magistro,
Sic pectus prudens, complerat & artibus aptis.
Cælestem niueo doctrinam corde recondens,
Socraticas doctus chartas, magniq; Stagyræ.
Alta Themis floret, florens Astræa Minerua.
His donis tincto, tantis fulgoribus aucto,
Vnum opus est semper, cunctas impendere vires,
Quærere lucra Deo, populi curare salutem,
Diuinam ob causam solam, ac virtutis amorem.
Hæc mens est, vita, alti Principis atq; Dynastæ.

Transeat hic sine nube dies, stent aëre venti
Aspiciam nullos hodiernâ luce dolentes.

Assurge accelerans, pulchris redimita coronis
Posnea, cùm Præsul tantus tua Templa subintrat
Quo non infestas ornata, paueto cateruas,
Lingonicas fraudes, non Lernæ monstra dolosa.
Insidias frustra tentabit, Brentius atras,
Præsulis ensem habilem trepidabit turba Gigãtũ
Antra petent, celeres Lemures ceu luce repulsi.
Cerne, EQVITIS mucronẽ agitet quo fulgure dextra
En rutilis armis scintillat robora firma.

Aspi-

Aſpice, quo curſu Sonipes fertur, per amœna
Arduus, hoſtiles contundens vngula turmas,
Iratos meritis vibrans de naribus ignes.
Impia nulla phalanx, audebit tollere faſtum,
Non tenebræ inſurgent, claras abſcondere luces,
Ipſe nec infenſas mittet certamina Auernus.
Aſpectu tanto perculſum protinus agmen,
Curſum, præcipiti rapietue ad Tartara lapſu.
Tu SONIPES generoſe animoſo iam pede, velox
Iproſper, partoq; pedem ne figito campo,
Greſſum nec ſiſte; EXPECTAT TE CIRCVLVS ORBIS.
Sarmatici cæli lumen, plaudentibus aſtris
Acropolim, Præſul CASIMIRE aſcendito Poſnæ,
Felix, tale decus, merito cumuletur honore.
PONTIFICIS Sidus celſum; cognoſcere Poſna
Incipe noſſe iubar tantum, magnumq; Dynaſtam.
Cui tot ſunt laudes, fulgent quot ſidera Olympo.
Vel ter Io tollens vocem depromito dulcem.
O Salue æternum felix mihi maxime Præſul.
O Salue ſplendor noſtræ gtatiſsimus vrbis,
Viue decus noſtrum felicibus vtere fatis.
Ac iterum ter Io tollens depromito vocem,
O felix tantis felix fulgoribus Ara.
Siue caput ſpecto, magna es redimita coronis
Nam geminis; hæc ſunt ſplendoris teſſera magni.
Magna es, ſiue latus cerno, dum candida Pallas,
Gradiuuſq; pater cingit premit, ardua colla.
Magna es, ſiue baſim video, monimenta potentis
Roboris; intueor; memoro victricia ſigna,
CZARTORYSCIANÆ virtutis, ſymbola certa,
Quæ ſemper mundo claris Heroibus adſtant.
Magni ô conſilij domus eſt, cui Numina tanta,
Æmula, ſiderei cæli, virtute nitenti.

APPLAVSVS
Auſpicatò Annuente
GEDIMINO COLVMNA
PRINCIPE & MAGNO DVCE LIT.
Septentrionis Hercule
Cum Epigraphe,
Flos hominum nitet Vrbi, & Orbi.

VRBS clara, celſi Sarmatici poli,
Aſſurge vultu, Poſnea libero,
Aſſurge, iam fauſtos triumphos,
Lætitiamq; foue ſerenam.

Refulget Aſtrum, luminis inclyti,
DVX purpuratus, gloria Lechiæ,
CZARTORYANVS fulgor almus,
Litauiæ decus, & corona.

Hæc eſt propago, tot legionibus
Gemmata Regum; robora fortia,
Monſtrauit olim Marte forti
Pro Patriâ hâc, animoſa fulgens.

Nunc facta multis edita ſeculis
Felix nouauit, geſtaq; grandia,
Committit actis poſterorum,
Materies memoranda ſeclis.

CZARTORYORVM, Flos hîc adoreæ,
Poloniæ Flos, delicium ſui
Axis Trionalis, renidens
Floſq; Ducum, nitet Vrbi, & Orbi.

Hæc illa virtus, clara micat bonis
Accepta ſemper; nec popularium
Horrens tumultus, iam perenni,
Temnit humum generoſa vultu.

Aduerſa nunquam numina ſentiens,
Stipata multis dotibus inclytis,
Carpit triumphos glorioſos,
Ritè decus ſtatuens in orbe.

Sum-

Summoq; honori consociabilis,
Celsam coronam vertice fulgido,
Florente tollit semper æuo,
Conspicuos solidans honores.

Non vsitatis laudibus ardua,
Ibit perenni robore Atlantico,
Quàcunq; fulgens sol iugales
Auricomos agitat per orbem.

A Phœbo Eoo, cardinem ad Hesperi
Titan vbi ardens, vel gelidus riget
Axis, frequens algâ, geluq;
Continuis rigidus procellis.

Clarum iubar non hoc Latium latet,
Nec sub nitenti lumine peruio,
CZARTORYÆ multùm sacrata,
Perpetuæ monumenta famæ.

Ætas nec ordo est, gens neq; turgida
Mortalium, quæ nesciat arduos
CZARTORYÆ gentis nitores;
Non sine perpetuis trophæis.

Modò nitentis sideris emicant,
Alti nitores Præsulis inclyti,
Splendore sublimi coruscant,
Perpetui CASIMIRI honores.

Astræa, ab alto pectore labitur,
Ab ore nectar desluit aureum,
Et mella stillant suauiora,
Flexanimi eloquij potenter.

Hic alma fulget relligio, & fides,
Prudens in omni tum sapientia,
Et Splendidorum sors Auorum,
Magnanimos iterat nitores,

Heus nunc honores, prisca fides suos,
Tollat, Dynastæ maior adest honos
Nostri; quem Olympo miscet alto,
Fulgida gloria, lausq; multa.

AP-

APPLAVSVS

Sub Omine Heroico
OLGERDI, GEDIMINI FILII
PRINCIPIS & MAGNI DVCIS LIT.

Bellicâ fortitudine, Trophæis, Achille maioris

Cuius Lemma

Terret EQVES, rabidas cateruas

TVMVLTVOSVS vibret acinaces
Mauors, honores Palladis inclytæ
Durant; minax CZARTORYANVS
Terret EQVES rabidas phalanges.
Hoc ense stricto, relligio sacra
Secura tandem, & Cornipede arduo,
Qui contumaci, fortis, audax,
Hæreticas pede tundet Hydras.
Recede tandem, climate Posneæ,
Procul Gigantum pestifera ô lues,
Excede, Miles fortis ensem
PONTIFICIS, rutilat minacem.
Consurgat etsi Tænarus horridus,
Æstu cruentæ vel Furiæ fremant,
Latrentq; Dirarum cohortes,
Gorgoneis tenebrosæ in antris.
Furore lethum lethiferum intonet,
Feruescat intus stagnum Acherontium,
Tristiq; prærumpantur œstro,
Noctigenæ Eumenides atroces.
Ardens EQVES nam Præsulis, impia
Portenta, magno proruet impetu,
Vult si ad remotos pellet Indos,
Vel rutilo resecabit ense.
Non Lerna bellum colluuies tuum,
Tentabis atrox, pressa Erebi lacu,

Fru-

Frustra tumultus iam Gigantum,
Pestiferos reparabis orbi.
Haud triplicem sic Bellerophon pius,
Chymæram in antro, flammigero tulit;
Prosternet vt CZARTORYANVS,
Et Sonipes & EQVES cohortes.
Sat execratas, dogmata dulcia
Quæ respuunt; non vel Pelopis domus
Consurget antro, non laborans
Terrere cælicolas Typhœus.
Iam lætior nunc Posneadum color,
Emittat altos, pectore spiritus,
Omnis popellus: Varta solus,
Gurgite proruat aut sonoro.
Accesşiones prospera percipit,
Partas recenter; non metuet dolos,
Euincet atras quasq; turmas,
Prosperitate vigens serenâ.
Expers timoris tendet in ardua,
Ornata tanti, lumine Præsulis,
Splendore splendescet perenni,
Non tenebras metuens atratas.
Et iam feroces despiciet satis,
Omnes timores solicitos metus,
Securaq; euitabit iras,
Impia, quas properat caterua.
Nec alta durant, robora Atlanticis
Sic rupta campis, quæ cariem suæ
Non sentiunt turpem senectæ;
Non tinea pereunt inerti.
Vt facta perstant fortia Præsulis,
Firmata magnis, perpetuis bonis,
Et robore omni fortiora,
Præsidium cumulando firmum.

APPLAVSVS
Faustum Omen præbente
CONSTANTINO PRINCIPE
Primoq; CZARTORYÆ DVCE,
IAGELLONIS Polon: Regis Fratre
Gentis suæ Hectore.
Cum Lemmate
Velut inter ignes Luna minores.

QVALIS resurgens surgit ab æquore,
Titan, cum Olympo restituens diem,
Caligine omni mox fugata,
Cuncta suo recreat nitore.

Pertentat omnis lætitia intima,
Cient alacres, pectora dulcia
Motus, vigent prata, & volucris,
Jam modulamine gestit acri.

Talis Dynastæ vultus, ab inclyto
Serenus ortu lumine plurimo,
Lucem reducit post tenebras,
Maior Auis Atauisq; fulget.

CZARTORYORVM *candida lux micans,*
Virtutis, almum delicium arduæ,
Vrbiq; Posnæ Præsul adstans,
Præsidium CASIMIRVS *amplum.*

Hæc hæc propago, Magnanimûm Ducum,
Excelsa Regum progenies nitens,
Cùi purpurarum splendor; & res
Celsa, potens renitens Colossis.

Altos honores Palladis Ausoniæ
Assumpsit, imber quos, Aquilo, aut potens
Natura, non tempus, nec aura,
Diruit, aut minuit caduca.

Supremus annus, nigra coloribus
Mors diruet mox Martis adoreas,

Con-

Conuertet atras in fauillas,
Quæ fuere arma tholis refixa.

Iam Græciæ nunc, & Macedoniæ,
Duces, teguntur sarcophago leui;
Nullo nitens splendore prisco,
Compita habent cineres solutos.

Doctrina, laudem promouet insitam,
Intaminatâ fulget adoreâ,
Vultu sereno vel triumphat,
Perpetuos cumulans honores.

Scandens in altum pyramidum altius,
Semper perennis, ære perennius,
Et clara crescit sola in æuum,
Postera laude recens manendo.

Hanc intuentur fata potentia,
Expers sepulchri, tendit in ardua;
Resplendet haud nutans in horas,
Nec tenebris agitatur atris.

Magni Dynastæ, gloria stemmatis,
Floret refulgens, edita Regibus
Et Principum, altis splendida actis,
Conspicuis renitet trophæis.

Depromere at mens doctior illius,
Ausus recentes, cordis ab intimo,
Proferre: non iactare multùm
Stirpe suâ generis decori.

Audentior, quàm multa quiritium
Cohors minorum; passibus arduis,
A Musa, opes veras legendo,
Et solidos geminare honores.

Mitrâ Ducali, conspicuum caput
Gerens; laborat quæq; per ardua
Tranare dum fasces Camœnæ,
Ingenium, titulos dicarent.

APPLAVSVS
Sub Ominibus Faustis
ILLVSTRISSIMÆ POSTERITATIS
CONSTANTINI PRINCIPIS
Primiq; CZARTORYÆ DVCIS.
Eius Prodromus

Pellunt noua gaudia luctum.

RESCINDE luctus Melpomene tuos
SZOLDRSCIQ; magni funere squalida,
Dolore iusto sauciata,
Carpe manu meliore lauros.

IN omne viuent præmia PRÆSVLIS,
Tempus; diu quàm merget Iberijs
Oris iugales, solq; Eoo,
Cardine iter repetet coruscum.

LVBRANSCIANIS, quas situs indecens,
Fere occuparat, qui statuit decus
Musis; relapsas iuuit & res
Non remorante manu Lycei.

Seu Musa Posnæ, quæ vaga flumina
Vartæ retorti, dum colis, intona,
Dici Parens hic literarum
Promeritus fuerat tuarum.

Sed Diua, non his Nænia plausibus,
Obducta tangens vulnera conuenit,
Iam conticescas vel sonoro
Nunc hilaris modulare plectro.

Affulget ASTRVM, luminis intimi,
Felicitatis SIDVS adest tibi
Præsentius NVMEN, tuarum
Grande decus, columenq; rerum.

Stirps clara, magnæ Litauiæ DVCVM,
Ab vsq; latis Ausoniæ Polis,

Quam

An. Grak. 2. kart